



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Peccata mentalia quinque modis committuntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

*Peccata mentalia quinque modis
committuntur.*

Cogitationis peccata quinque modis inveniuntur. Primo, dum mens vana aliqua cogitatione occupatur. Et est peccatum veniale, ut patet. Secundo, quum consentitur absolute in peccatum aliquod perpetrandum, aut placet perpetratum. Et tunc constat esse mortale, si peccatum patratum aut patrandum est mortale, & similiter esse veniale, si peccatum faciendum aut factum est veniale. Tertio, quando conditionaliter consentitur in peccatum: puta si absque infamia, periculo &c. possem, furarer, aut raperem mille aureos: aut si possem volare, occiderem talem &c. & sic de aliis conditionalibus. Et interuenit peccatum in istis consensibus conditionalis tam mortale quam veniale, sicut in consensu absolute: hoc est quod si operatio in consequente significata, in quam conditionaliter consentitur, est peccatum mortale: consensus ille conditionalis est quoque peccatum mortale: & si est peccatum veniale, consensus quoque erit venialis. Et ratio est quia licet conditionalis nihil ponat in esse, ponit tamen in appetitu rationali (qualis est voluntas) affectum colendi peccatum illud. Nec impedimentum peccato affert voluntas non peccandi, sed conditio non existens. Nec refert, an conditio interposita sit possibilis vel impossibilis: non minus enim peccat mortaliter qui vellet destruere Paradisum si posset, quam qui absolute cupit Paradisi destructionem. Excusarentur autem a mortali huiusmodi conditionales consensus, si conditio interposita tolleretur ab actione volita rationem peccati puta si quis diceret, Ego, si non esset peccatum, occiderem, raperem &c. vel si Deus praeceperet, occiderem &c. quia tunc voluntatis consensus freno rationis a peccato retrahitur.

D 3

Quarto,

Quarto, quando consentitur conditionaliter in opus non malum, sed sibi illicitum propter suum statum aut verum: puta si religiosus appetat duxere uxorem si esset liber: & similiter quum quis post votum ieiunii vellet non ieiunare si esset liber & sic de aliis. In huiusmodi enim peccatū veniale communiter interuenit propter remissam voluntatem ab inchoato bono. Et ad hunc peccandi modum spectat, quū quis consentit quod si ingressus esset religionem, non ingrederetur: ex quo tamen professus est, intendit seruare eam: manifestè siquidē apparet remissio voluntatis à seruire prius habito: quia tamen consensus infra limites liberi tēporis consistit, mortale peccatum non interuenit. Et scito omnes conditionales secundum hunc modum, & multo magis secundū præcedentem modum, esse opera & tentationes fatuas & diabolicas. nam diabolicum est, quenquam in tentationē se, aut alium præcipitare, si esset, si fuisset, facerem, dicerem &c. ad nihil enim hæc ducunt, nisi ad peccatum.

Quinto, quando in cogitando interuenit delectatio morosa. De qua vide infra in verbo, delectatio.

*Peccatum collusionis qualiter
committatur.*

Collusio (hoc est inter actorem & reum latens & fraudulenta conuentio) est manifeste peccatum in yeroque: quia yterque colludens fraudi consentit. Hæc est peccatum mortale pro quanto inique contra debitam tendit iustitiam.

Columbarium qui licitè teneant.

Columbarium habere, vel contra municipalia statuta disponentia certam terræ mensuram occupare ibi habere eum qui columbarium tenet, vel ubi statutum nullum est contra eorum qui damnificæ quærelas peccatū est, nisi ex consuetudine aut præscrip